



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Disputatio V. De duratione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

Resp. posse dari naturaliter vacuum, nisi corporum connexio illud impediat; si autem in medio vacuo esset lapis, non esset connexus cum illo corpore, quod motum eius impedire posset. Motus qui fieret in vacuo, terminum etiam realem haberet, quia spatium imaginarium est etiam aliquid reale.

Tertia obiectio.

Obiicitur tertio. Motus in vacuo esset in instanti, quia causa successionis motus est resistentia medij: sed motus in instanti est impossibilis: ergo motus in vacuo est impossibilis.

Resp. causam successionis in motu non esse solam resistentiam medij, sed illam esse potissimum distantiam, seu latitudinem medij decurrendi; nam cum de essentia motus sit ponere mobile in spatio maiori se, siue illud sit reale, siue sit imaginarium, implicat mobile in instanti moueri, quia implicat adæquari spatio maiori se, abstrahendo à qualibet resistentia medij. Semper ergo successiuus erit motus, qui fiet in vacuo, quamuis ex maiori, vel minori resistentia medij maior vel minor sit velocitas motus.



DISPUTATIO V.

De duratione.

Aristoteles lib. 4. à cap. 10.

QUESTIO VNICA.

Quid, & quotuplex sit duratio.



IN vbiatio, de qua dixi hactenus, est presentia rei ad locum, sic duratio est presentia rei ad tempus, de qua tria breuiter superflunt dicenda: primo in genere, quid, & qualis sit duratio: secundo quamnam sint species durationis permanentis: tertio an, & quid sit duratio successiua.

SECTIO I.

Quidditas durationis in communi, & distinctio eius à re durante.

REuiter tota hæc controuersia dirimi potest ex dictis de presentia locali, quam negabam indistinctam esse à re locata; de vtraque enim similis ratio est.

Quid sit duratio.

Dico primo, durationem rectè definiri *permanentiam rei in esse, seu coexistentiam rei cum tempore vel reali, vel imaginario*: vel etiam, vt alij dicunt, *existentiam rei prout illa dicit negationem inceptions*: quia nimirum res quælibet existit in primo instanti, sed in eo tamen non durat, quia in primo instanti non habet perseverantiam in esse, neque connotat esse præhabitu.

Primo instanti res non durat.

Neque dicas primo. Tunc res durat, quoties denominatur per quando: sed querenti quando res incepit, responderetur per primum instans: ergo in primo instanti res dicitur durare.

Resp. enim negando maiorem, non enim res durat quoties responderetur quando illa incepit, sed quando permanferit in esse, hoc enim est durare; incipere autem non est durare.

Successiua durans.

Neque dicas secundo: Si durare est permanere

A in esse, sequitur res successiuas non durare, quia non permanent in esse.

Resp. duplicem esse rei permanentiam in esse, aliam quæ opponitur successioni, & est perseverantia in esse toto simul; illa permanentia rebus successiuis non conuenit: alia permanentia non opponitur successioni, sed solum interruptioni, & inceptionsi, & est perseverantia in esse, siue toto simul, siue per partes sibi continuè succedentes; & hæc conuenit rebus successiuis; nam quia illæ non existunt nisi dum fiunt, ideo dicuntur existere quamuis non omnes partes rei successiue factæ sint adhuc: dicuntur item permanere in esse, quamdiu nouæ partes fiunt quæ nondum erant; cum enim nouæ adduntur partes, ipsum esse rei successiue crescit, & consummatur. Duratio ergo connotat semper rei præexistentiam, vel in toto, si res sit permanens; vel in parte, si sit duratio rei successiue.

Dico secundo, durationem internam rei non distinguui realiter, aut modaliter à re durante, quæcunque illa sit, sed formaliter tantum & connotatiue. Ita tenent omnes qui negant distinctionem vbiatationis à re vbiata, & præter eos etiam alij non pauci, Suarez disp. 50. sect. 1. Valques 1. p. disp. 33. n. 18. Gillius lib. 2. tract. 10. n. 3. Falsolus, Hurtadus. Contrarium censent alij non pauci.

Obserua durationem aliam esse internam, aliam externam: interna illa est, per quam res propriè dicuntur durare; vnde tot sunt intrinsecæ durationes, quot sunt res durantes. Extrinseca est illa, per quam cognoscitur quantum res illa durauerit; sic enim motus cæli duratio est omnium rerum, quia per illum cognoscitur quanta rerum omnium fuerit duratio interna. His positis

Ratio est primo, quia duratio non est aliquid distinctum à re durante, si vt res duret non sit necesse vt acquirat aliquid noui postquam primo producta est: sed vt res aliqua duret postquam primo producta est, non est necesse vt acquirat aliquid noui: ergo duratio non est aliquid distinctum à re durante. Probatur minor. Vt aliquid permaneat in eo quod iam habet, non est necesse vt acquirat aliquid noui: sed vt res duret, debet tantum permanere in eo quod iam habet, duratio enim est permanentia rei in esse, quod habet: ergo vt res duret, non est necesse vt acquirat aliquid noui postquam primo producta est. Deinde si per mentem tollatur à re durante quidlibet aliud præter existentiam perseverantem esse, res illa verè durabit: ergo non requiritur aliud superadditum, & distinctum.

Secundo. Si duratio esset modus distinctus ab entitate, vel esset aliquid fluens, vel permanens. Si fluens, illud non habet causam vllam productiuam, quis enim nouum hunc modum iam in me producit? Si permanens: ergo implicaret vt nunc non essem cras realiter & formaliter, habeo enim modum qui essentialiter respicit cras. Imò sequeretur me nunc existere cras, quia totam habeo durationem crastinam formaliter: ergo nunc sum cras.

Tertio. Vt aliquid duret, sufficit si respondeat diuersis temporibus: sed ex vi solius existentie, præcisè aliis omnibus, res durans responderet variis temporibus: ergo ex vi suæ existentie, præcisè aliis omnibus, res durare dicitur. Probatur minor. Quando è duobus extremis alterum est mutabile, potest illi alterum respondere immotum manens, sicut pons v.g. immotus manens supra flumen, variis responderet aquis fluminis sub illo successiue decurrentibus: ergo res permanens & immota potest respondere rei successiue.

Dico

Conserua-
tio non est
duratio.

Dico tertio, nullo etiam modo posse dici, quod duratio sit ipsa rei conseruatio continuè fluens, & singulis instantibus diuersa. Contra quosdam recentiores, qui (vt aliàs monebam) conseruationem, vocationem, & durationem volunt identificari, & eas continuè mutari, addeò vt implicet me conseruari nunc per eandem conseruationem, qua conseruabar heri; & conseruari Romæ per eandem conseruationem, qua Lugduni conseruabar.

Triplex
probatio.

Ratio tamen primò est, quia vt res duret, non est opus vt acquirat aliquid noui, sed tantum vt permaneat in esse, quod prius habuit: sed si actio conseruatiua esset duratio, & semper mutaretur, acquireret aliquid noui: ergo actio conseruatiua non est duratio. Deinde præcisè per intellectum actione conseruatiua, res aliqua permanet in esse præcisè ex vi suæ existentia; per illam enim potest coexistere variis temporibus. Præterea sicut potest res aliqua permanere in esse, & durare, sic actio etiam potest durare; sine fundamento autem fingitur, quod actio, quæ fuit heri, non possit etiam esse cras; hoc enim nullo argumento probari potest, & sine ratione multiplicatur infinitæ actiones; singulis enim instantibus producit noua conseruatio totalis. Denique ratio à priori est, quia duratio est id quo formaliter res permanet in esse; conseruatio est id, quo res non formaliter, sed effectiue permanet in se: ergo conseruatio non est duratio.

Prima ob-
iectio.

Obiicitur primò, solemne argumentum, quod factum est pro vocatione distincta. Petrum durare hodie, est aliquid reale, separabile ab existentia Petri; nam Petrus heri existerat, & potuit mori; quo casu non durasset hodie: ergo duratio est aliquid reale distinctum ab existentia rei durantis.

Neque dicas durationem superaddere connotationem temporis extrinseci, res enim durans heri connotabat aliud tempus extrinsecum.

Triplex
conserua-
tio.

Contra enim insto. Coexistere tempori extrinsecò, & illud connotare, est aliquid reale separabile à Petro, & à tempore extrinsecò, quia potuit vt rumque in rerum natura existere, quin inuicem coexisterent, & quin esset illa connotatio, sicut existerunt de facto Adamus, & dies hesternus; & tamen Adamus non fuit heri realiter: ergo coexistere, connotare, simul esse, sunt aliquid distinctum à Petro, & à tempore. Confirmatur primò. Antichristus nunc est indifferens, vt connotet tempus crastinum, vel post mille annos: ergo vt connotet potius tempus crastinum, quam aliud, debet determinari per aliquid aliud. Confirmatur secundò. Quando Deus vult creare Petrum hodie, voluntas Dei habet pro obiecto aliquid distinctum à substantia Petri, & ab hoc instanti; eadem enim esset substantia Petri si produceretur alio die, & idem esset hic dies, si non produceretur in eo Petrus: hæc voluntas habet pro obiecto Petrum esse in hoc instanti: ergo Petrum esse simul cum hoc instanti, est aliquid distinctum à Petro, & ab hoc instanti. Confirmatur tertio. Posita causâ formali, ponitur necessariò effectus formalis; sed existentia Petri sola est causa formalis propter quam res connotat hanc diem: ergo posita existentia non potest Petrus non esse hodie: quod tamen falsum est, quia potuit fieri post centum annos.

Retorque-
tur argu-
mentum.

Resp. ex dictis de vocatione, primò quidem eodem argumento posse probari, quod coexistentia Petri & Pauli est aliquid distinctum realiter ab eorum duratione; nam potuit Petrus esse hodie, & Paulus potuit esse hodie, quin Petrus & Paulus si-

mul essent hodie: ergo Petrum durare simul cum Paulo, est aliquid distinctum à duratione Petri, & à duratione Pauli. Præterea me esse iuxta parietem non est aliquid distinctum à meo vbi, & ab vbi parietis; & tamen potest esse meum vbi, & vbi parietis, neque tamen meum vbi erit iuxta vbi parietis.

Solutur.

Itaque secundò, respondeo ad argumentum distinguitur illud antecedens, Petrum durare hodie aliquid est separabile ab existentia Petri, secundum id quod illa duratio dicit in recto, nego; secundum id quod illa dicit in obliquo, concedo; illa enim denominatio, Petrum esse nunc, tria dicit, existentiam Petri, diem hodiernam, & determinationem agentis ad producendum Petrum potius nunc quam heri; positis siquidem illis tribus, implicat vt Petrus non duret hodie; duratio autem illa secundum id quod dicit in recto, est existentia Petri, quæ dicit in obliquo diem hodiernum, & determinationem voluntatis ad producendum aut conseruandum hodie Petrum; hinc

Ad primam confirmationem concedo Antichristum nunc esse indifferenter vt sit cras, vel vt sit post mille annos, sed nego illum debere determinari vt sit post mille annos potius quam cras per modum distinctum, sed tantum per voluntatem Dei agentis, qui vult eum producere potius post mille annos, quam cras: sicut ego, quia sum indifferens vt sum calidus & frigidus, debeo ab agente determinari efficienter; determinabor autem formaliter per calorem.

Ad secundam confirmationem respondeo, quando Deus vult Petrum durare hodie, obiectum voluntatis illius diuinæ, nec esse solam existentiam Petri, nec solum hodiernum diem, sed esse illa duo simul. Fateor quod illa duo, Petrum & diem hodiernum esse simul, est aliquid distinctum ab existentia Petri secundum id quod dicit in obliquo, non secundum id quod dicit in recto, vt sæpe dixi. Neque dicas, Petrum esse simul cum hac die, dicit existentiam Petri, hodiernum diem, & voluntatem Dei determinantis: ergo quando Deus vult Petrum esse in hac die, obiectum illius diuinæ voluntatis est ipsa voluntas Dei, quod absurdum est. Respondeo illam Dei voluntatem tunc non habere se ipsam directè ac formaliter pro obiecto, sed habere se tantum indirectè, id est habere pro obiecto aliquid à quo connotatur, cum habeat pro obiecto existentiam Petri prout connotat tale tempus, quæ duo connotant voluntatem Dei determinantem.

Ad tertiam confirmationem sæpe concessa est maior, quod posita causa formali secundum id quod illa dicit, tum in recto, tum in obliquo, ponitur effectus formalis: sed posita causa formali secundum id quod dicit solum in recto, non ponitur effectus formalis, quod patet ex communissima doctrina de formalitatibus, & de relationibus.

Obiicitur secundò. Possunt multiplicari partes motus, non multiplicatis partibus temporis: ergo duratio motus, siue tempus distinguitur à motu. Antecedens probatur, quia si mobile tardum spatio vnius horæ conficiat Leucam, & mobile velox eadem hora conficiat decem leucas, tunc motus erit inæqualis, & duratio erit æqualis: ergo duratio distinguitur à motu. E contra potest tempus augeri motu diminuto; conficiat mobile velox vna horâ leucam, deinde duabus horis conficiat dimidium huius leucæ, tunc motus erit minor, & duratio maior: ergo patet quod duratio distinguitur à motu.

Secunda
obiectio.

V 4

Resp.

Resp. distinguendo primum antecedens; pos-
sunt multiplicari partes motus non multiplicatis
partibus temporis, seu durationis internæ, negatur;
non multiplicatis partibus temporis externi, con-
cedo; nam hæc duo valde distinguenda esse initio
monebam. Si mobile tardum spatio vnius horæ
conficiat leucam, & eodem horæ spatio mobile ve-
loxiorem conficiat leucas, tunc motus iste velo-
cior æqualem habebit durationem externam, sed
durationem internam habebit inæqualem. Simili-
ter si mobile velox vnâ horâ conficiat leucam, &
deinde duabus horis conficiat dimidium leucæ, mo-
tus iste tardior maiorem habebit durationem exter-
nam, sed minorem durationem internam, sicut
quantitas palmaris, si sit densa, minorem habet ex-
tensionem externam, quàm quantitas bipalmaris
rara; sed habet maiorem extensionem internam, vt
suo dicitur loco, cum agam de rarefactione; est
enim eadem prorsus difficultas.

Possent enim opponi, & difficillimè. Singulæ par-
tes durationis externæ respondent singulis parti-
bus durationis internæ; nulla enim est pars dura-
tionis internæ, cui non respondeat pars durationis
externæ, quia tempus est mensura motus: ergo vbi
sunt plures partes durationis externæ, ibi sunt plu-
res partes durationis internæ. Sed hoc soluetur
infra, cum agam de successione continua motus, &
cum agam de rarefactione: patebit enim falsam es-
se consequentiam.

Tertia ob-
iectio.

Obiicitur tertio. Illud quod includit essentiali-
ter successionem, distinguitur realiter ab eo quod
eam excludit: duratio Angeli essentialiter includit
successionem, existentia verò Angeli eam essentiali-
ter excludit, cum sit indiuisibilis, duratio verò sit
diuisibilis; si enim duret per mille annos, plus du-
rat, quàm si duret per vnum diem: ergo duratio
Angeli distinguitur ab eius existentia.

Resp. ex statim dicendis, quod duratio Angeli est
indiuisibilis formaliter, sed diuisibilis solum virtuali-
ter; vnde Angelus qui durat per annum, plus du-
rat quàm si duret per quadrantem, duratione extrin-
seca, non intrinseca; id est, plus habet durationis se-
cundum id quod illa dicit in obliquo, non secun-
dum id quod dicit in recto.

Quarta ob-
iectio.

Obiicitur quarto. Quantitas permanens non
potest coextendi loco diuisibili sine modo exten-
sionis distincto: ergo existentia rei non potest
coextendi tempori sine modo durationis di-
stincto.

Resp. negando paritatem, quia extensio quan-
tatis permanentis est aliquid producibile per ve-
ram actionem realem, vt constabit ex dicendis de
rarefactione: duratio autem non est producibilis
per actionem distinctam à re durante, vt pro-
babitur.

SECTIO II.

Diuisio durationis in suas species.

Quatuor
species du-
rationis.

Quæcumque durat, vel sunt Deus ipse, vel sub-
stantiæ incorruptibiles, vel entia permanen-
tia corruptibilia, vel entia successiua. Durationem
Dei propriam appellant æternitatem, duratio sub-
stantiarum incorruptibilium vocatur æuum, dura-
tio rerum permanentium corruptibilium dicitur in-
stans permanens, duratio rerum successiuarum est
tempus. De illis singulis dicendum aliquid est, vt
durationis species intelligantur, cuius quidditatem
hactenus exposui.

Definitio
æternitatis.

Dico primum, æternitatem prout est duratio Dei

A propria rectè definiti à Boëtio lib. 3. consolationis,
prola secunda, est *Interminabilis vita tota simul, &
perfecta possessio*.

Dicitur primum *possessio*, id est duratio secunda, ex per-
iculi omnis & inquietudinis, quia illud posside-
re dicimus, quod quietè ac plenè habemus: hanc
ergo quietem & securitatem diuini esse vt signifi-
cetur Boëtius, nomen vsurpauit metaphoricum *pos-
sessionis*, significare volens durationem. Secundo
dicitur *tota simul*, quia est prorsus indiuisibilis for-
maliter, id est nullas habet partes, aut permanentes,
aut successiuas; sic enim distinguitur à tempore,
quod fuit *irreueribiliter*, æternitas verò *stabilitas est
influxibilis*, vt loquitur Parisiensis *secunda parte se-
cunda partis de vniuerso*, c. 1. & c. 2. vbi dicit id inter-
esse inter tempus & æternitatem, quod inter stan-
tem in vltimitate stabilitatis, & fugientem in vlti-
mitate fugacitatis. Æternitas ergo est tota simul,
id est stabile quoddam nunc, omnem successionem
excludens, vnde Boëtius lib. de Trinit. c. 9. ait, quod
nostrum nunc fluens facit tempus, nunc verò permanentes
& consensens facit æternitatem. Ratio verò, cur æter-
nitas sit tota simul, est quia eminentissimo quodam
modo, eadem ætoma Dei existentia omnibus suc-
cessionibus, & motibus, tam realibus, quàm imagi-
nariis secundum se totam immutabiliter & indeli-
nenter coexistit.

Dicitur tertio *interminabilis*, id est ex natura sua
incapax termini, siue à parte ante, siue à parte post;
vera enim æternitas, inquit Anselmus c. 24. *Monolo-
gij*, principij sineque metâ carere intelligitur. Vnde
pater, quod hæc duo in æternitate sunt mirabilia,
quod sit indiuisibilis, & tamen indefectibilis, multas
habens partes, cum sit vnum nunc simplicissimum,
sed coextensum omnibus temporibus, & illa supe-
rans tum à parte ante, tum à parte post, sic enim ha-
bet Deus totum suum esse, totam felicitatem, & bo-
na in quolibet puncto temporis, vt omnia tempora
impleat.

Vnde colligi potest, istas esse proprietates æter-
nitatis, indiuisibilitatem, interminabilitatem, suc-
cessionem virtutalem, vniuersitatem, infinitatem,
esse mensuram omnium durationum, & nulla re
mensurari posse.

Dico secundò, æuum rectè definiti, est *Duratio
tota simul naturaliter interminabilis à parte post, non
autem à parte ante*; duratio videlicet propria re-
rum incorruptibilium. Instans autem permanens
est duratio simul naturaliter terminabilis ex vtraque
parte, id est propria rerum permanentium corrupti-
bilium. Ideò autem dicitur instans permanens, quia
imitatur duas condiciones instantis, quod sit totum
simul, & quod incipiat & desinat; sed quia ta-
men habet ista duratio permanentiam, quàm
instans non habet, idè sic dicitur instans, vt di-
catur etiam permanens. Tempus autem discretum
vocatur illud, quod constat ex multis durationi-
bus vtriusque terminatis, quarum aliæ aliis ita suc-
cedunt, vt vnaquæque sit tota simul, neque conti-
nuetur cum aliis.

Difficultas verò est, vtrum verè dictum sit, quod
duratio rerum incorruptibilium, & rerum corrupti-
bilium permanentium sit tota simul, an verò sit
successiua formaliter; sic enim censet Bonauentura
in 2. dist. 2. art. 1. q. 3. & videntur omnino asserere
multi Recentiores nuper relati, qui volunt duratio-
nem esse actionem, quæ nunquam eadem esse possit
in diuersis temporibus, neque in diuersis locis.

Dico tertio, æuum & instans permanens esse du-
rationes totas simul, successiuas solum virtualiter.
Ita docent Suarez, Fasolus, & alij communiter.

Ratio

Non sunt
durationes
successiuæ.

Ratio est, quia successio alia est formalis, alia virtualis. Formalis, siue intrinseca & secundum entitatem est transitus ab vno termino in alium, essentialiter importans corruptionem termini prioris adueniente termino posteriore, quod patet in tempore. Successio virtualis est forma permanens, æquipollens formæ transeuntis, successiuæ, quatenus potest indiuisibiliter coexistere tempori diuisibili, sicut extensio localis virtualis dicitur illa, quæ potest coexistere indiuisibiliter spatio diuisibili, non secundum diuersas partes, sed secundum se totam. Hoc posito argumentor.

Ibi non est successio formalis; vbi de nouo nihil superuenit: sed vt Angelus & homo intelligantur durare, non est opus vt intelligamus illi superuenire aliquid, sed solum id quod erat, manere: ergo sine vlla successione formalis intelligimus hominem & Angelum durare. Adde quod duratio intrinseca rei est existentia, vt probauit; rei autem permanentis existentia est permanens: ergo & duratio; si enim idem duratio rei permanentis esset successiuæ, quia coexistit tempori diuisibili, & plus hodie durauit quàm heri, duratio Dei esset successiuæ, quia sine dubio plus hodie durauit quàm heri.

Prima obiectio.

Obiicitur primò, sequi quod qualibet duratio est actu infinita; illa enim duratio, quæ actu includit omne præteritum, & omne futurum, est actu infinita; hæc duratio indiuisibilis includeret omne præteritum, & omne futurum: ergo esset actu infinita. Probat minor. Hæc duratio includit nunc præteritum, & nunc futurum sine vllis terminis, quia semper magis & magis potest durare; imò includit realiter quicquid in præterita & futura duratione concipi potest: ergo talis duratio includit omne præteritum, & omne futurum.

Resp. negando durationem Angeli esse actu infinitum; non enim est actu infinita secundum id quod dicit in recto, cum sit entitas ipsius Angeli; nec est actu infinita secundum id quod dicit in obliquo realiter & formaliter, cum actu non connotet tempus infinitum, sed simpliciter finitum; non est ergo actu infinita, sed ad summum est infinita virtualiter secundum id quod dicit in obliquo, cum non includat actu illud obliquum, idest omne præteritum & futurum, sed virtualiter tantum.

Secunda obiectio.

Obiicitur secundò. Si non daretur successio prioris & posterioris in duratione Angeli, sed idem in eo esset fuisse & futurum esse, sequeretur quod sicut Deus factio Angelo facere non potest vt non fuerit Angelus; ita facere non posset, vt futurus non sit, quod absurdum est. Probat sequela. Fuisse & fore in Angelo idem sunt: sed Deus tollere non potest fuisse: ergo tollere non potest futurum esse.

Resp. eodem modo fuisse & futurum esse in Angelo esse idem secundum quod dicunt in recto, sed non esse idem secundum quod dicunt in obliquo; connotant enim diuersum tempus. Verum ergo est, quod Deus factio Angelo facere non potest vt non fuerit Angelus, sed facere potest vt futurus non sit, quia futuritio Angeli dicit in recto entitatem Angeli, & tempus futurum in obliquo, quod esse illius præteritum non dicit.

Tertia obiectio.

Obiicitur tertio. Patres sæpè asserunt, quod solius diuinæ durationis proprium est, quod habeat solum esse, seu solum nunc, ita vt in eo non erit præteritum & futurum, sed solum præsens; hoc enim sæpè asserunt Augustinus, & Bernardus; sed si aliqua creata duratio esset permanens, illa haberet solum esse, & solum nunc: ergo nulla duratio creata est permanens.

A Resp. verum esse, quod de solo Deo independente ac immutabili potest dici *est*, non autem *erit*, aut *fuit*; quia nunquam mutatur, neque transit de potentia in actum, cum à nullo accipiat esse; de qualibet verò creatura permanente non affirmatur solum esse præsens, sed affirmatur etiam præteritum & futurum, ex eo quod semper accipiat esse ab alio, subeatque varias mutationes accidentales. Vnde patet, quod ad argumentum concessa maiori minor absolute negari debet; nam tamen duratio rei permanentis sit permanens, in illa tamen est futurum & præteritum, quia semper transit à non esse ad esse, & quia innumeras singulis instantibus habet mutationes.

B

SECTIO III.

De duratione successiuæ, quæ dicitur tempus.

Quid est tempus, quis hoc facile, breuiterque dicat? Quid est ergo tempus? si nemo ex me quaesierit, scito; si quaerenti explicare oportet, iam nescio, inquit Augustinus lib. 11. *confessionum*, c. 14. Explicabitur tamen ni fallor, aliquo modo, si dicantur primò quidditas & proprietates temporis: secundò eius existentia & realitas. Loquor autem solum de tempore reali, nam de tempore imaginario, eadem omnia dicere oportet, quæ sunt dicta de spatio imaginario.

C

§. I.

Quidditas & proprietates temporis.

Dico primò, tempus rectè definiri ab Aristotele textu 101. est *Numerus motus secundum prius & posterius*; idest, duratio rei successiuæ propria. Ad cuius definitionis intelligentiam,

Definitio Aristotelica.

Obserua primò, tria in tempore posse considerari. Primò quod sit duratio continua motus; hoc enim habet ex partibus prioribus & posterioribus motus, quia duratio motus à nobis non percipitur, donec percipiantur partes eius priores & posteriores. Ratio est, quia si vna pars est prior, altera verò posterior, necesse est aliquam trahi moram, & hæc mora est tempus. Secundò habet tempus quod possit mensurare motum; potest enim intellectus vt eius partibus, vt certus reddatur de quantitate motus. Tertiò habet quod actu mensuret motum, si eo intellectus reuera vratur ad eum mensurandum.

Tria in tempore consideranda.

Obserua secundò, voluisse Aristotelem tradendo eam definitionem temporis, quam attuli primò, describere tempus cœleste, quo tanquam mensura communi alios metimur motus, & moras, & durationes, & sic sensus eorum verborum est; Tempus est ipse motus, quatenus habet partes priores & posteriores, quas intellectus potest assumere vt ex eis mensuret alias quascunque durationes; nam assumendo partes huius motus dicimus menses, annos, secula. Voluit secundò describere quascunque alias durationes successiuas aliorum motuum, & sensus est; Tempus, siue duratio motus, est ipse motus quatenus habet partes priores & posteriores, propter quas mensurari potest per aliquas partes motus cœli; sic enim dicimus tempus durasse per horam, aut quadrantem.

Explicatio definitionis Aristotelice.

Essentia igitur temporis in eo sita est, quod sit prius & posterius ipsius motus, cui deinde aduenit esse posse mensuram actiuam si sit tempus cœleste; vel passiuam, si sit aliud tempus. Ex quibus

Essentia temporis.

Colligitur

Vnititas tem-
poris.

Colligitur primò, quod si tempus sumatur pro duratione interna motus, tot sint tempora numero & specie distincta, saltem materialiter, quot sunt motus numero & specie distincti; nam materiale temporis est ipse motus, formale autem est permanentia in esse secundum diuersas partes. Si verò tempus sumatur pro duratione temporis celestis, patet illud in ratione continui esse vnicum totaliter, licet in plures partes diuidi possit.

Tempus est
mensura
motuum.

Colliges secundò, quod ratio mensuræ dici potest proprietas temporis. Primò enim quodlibet tempus sine dubio mensurari potest, atque aded mensura est passiva, cum habeat partes sibi mutuo succedentes. Secundò tamen nullum tempus mensura est actiua illius motus, cuius est duratio, alioqui mensura, & mensurabile non essent distincta. Sed neque vllum tempus ex sua natura est actualis mensura motuum aliorum, sed ex sola voluntate hominum hoc efficitur, licet cæli motus propter vniformitatem & perpetuitatem aptissimus sit ad motus omnes mensurandos, atque ita ille solus est omnium temporum mensura, & tempus omnium rerum durationes continens, ac excedens.

S. II.

Existencia, & realitas temporis.

Conclusio
quinque ha-
bens partes.

Dico secundò, tempus esse verum ens reale, non permanenter existens, sed successiue continuè ex partibus diuisibilibus, realiter distinctis inter se, sine vllis instantibus indiuisibilibus, vel continuantibus, vel terminatiuis. Quinque sunt partes conclusionis, quarum tota explicatio & probatio constat ex dictis de continuo permanente.

Realitas
temporis.

Prima pars asserit realitatem temporis. Ratio est, quia omne quod est reale perseverans in esse, habet durationem realem; motus est ens reale perseverans in esse: ergo habet durationem realem, quæ vocatur tempus. Imò res successiua permanens in esse, realis est: illa est tempus: ergo tempus est reale; semota enim quacunque operatione intellectus, in motu est prius & posterius, quod dixi esse tempus.

Continuitas
successiua.

Secunda pars asserit existentiam eius esse successiuam, & fluentem. Esse videlicet successiue ac fluenter, est semper acquirere, & semper amittere partes, quatum vna nunquam sit cum alia parte: semper acquirit, quia interruptio tolleret continuitatem. Vna pars nunquam est simul cum alia parte; res enim successiua in hoc differt à permanente, quod permanens suas habeat partes totas simul existentes, successiua autem non existat vltro modo tota simul, neque vllam habeat partem totam simul existentem, sed & tota habeat partes post alias, & singulæ partes habeant partes post alias, idest sibi succedentes, seu fluentes; hoc enim est existere fluenter. Vnde sapienter dictum est à Boëtio, *quod tempus continuat cundo vitam, quam non potuit continuare permanendo*. Et Augustinus ait, *quod nos prætereuntia metimur tempora, non præterita*. Quippe verum existere temporis est præterire, incipiendo definire, & quasi mortibus suis viuere, vel potius non nasci nisi moriendo; hoc enim est existere fluenter.

Partes diui-
sibiles.

Tertia pars asserit partes temporis esse in infinitum diuisibiles, aded vt eadem prorsus ratio sit continui successiui & permanentis; quod tamen video à multis negari ex eo quod argumenta mathematica, quibus probatur diuisibilitas partium

A continui permanentis, non probent diuisibilitatem partium continui successiui. Vnde ponunt aliqui tempus componi ex indiuisibilibus mathematicis; alij malunt illud constare ex indiuisibilibus physicis extensis, quas appellant morulas. Quæ omnia ex dictis de continuo permanente refutari possunt.

Primò enim valet sine dubio argumentum Philosophi, quod *indiuisibile additum indiuisibili non facit maius*; hoc enim etiam verum est de instanti: sit enim instans B, medium inter instans A, & instans C. Sic arguo. Si instans B, vnitur instanti A, secundum illud idem immediatè, secundum quod vnitur immediatè instanti C, sequitur necessariò, quod instans A, & instans C, sunt vnita immediatè; *qua enim sint eadem vni tertio, sunt eadem inter se*: ergo instans A, & instans B, non faciunt maius. Deinde nullus omnino esset motus, quia neque in primo instanti, neque in secundo, neque in tertio mobile mouetur; motus enim non est in instanti: ergo mobile nunquam mouetur. Denique nullus motus esse posset alio velocior; tunc enim motus non est velocior altero motu, si eodem spatio temporis vnus plures non habeat partes, quàm alius: sed vnus motus plures non habet partes quàm alius; nam quando motus celerissimus habuit vnum instans, motus tardior habuit etiam aliquid, quod non est minus quàm vnum instans; & quando motus velocior habuit secundum instans, motus etiam tardior, si aliquid habuit, sine dubio habuit etiam vnum instans; & sic de cæteris: ergo intra horam motus velox non habuit plura instantia, quàm motus tardissimus.

Secundò valent etiam eadem ferè argumenta omnia contra morulas, & instantia extensa, vt ostendi disputatione tertia; sic enim insto. Quando illud instans præterit, quod est minus extensum, vel entitas tota puncti alterius fluxit, vel non; si tota fluxit: ergo non est magis extensa, vel certè permanet aliquandiu in esse, sicque tempus non est successiuum secundum se totum; si non fluxit tota: ergo entitas tota est diuisibilis. Imò si non tota fluxit, vel nihil eius fluxit, vel aliquid; si nihil: ergo non fluxit, contra suppositionem; si aliquid: ergo totum fluxit: ergo si adhuc manet, sequitur quod perit, & tamen adhuc est.

Quarta pars asserit distinctionem realem partium temporis, quæ probatur omnibus argumentis, quibus probata est distinctio partium quantitatis continuæ, videturque magis adhuc posse probari ex eo quod tunc quando existit prima hora, non actu existit secunda: ergo patet quod hora prima & secunda distinguuntur.

Quinta denique pars conclusionis negat vlla esse in tempore instantia realia, quæ copulent, vel terminent partes diuisibiles temporis; ad quod probandum nulla mihi videntur necessaria rationes præter eas, quas attuli contra puncta quantitatis permanentis; possunt enim omnes huc applicari, v.g. motus velocissimus durans per horam non habet plura instantia, quàm motus tardissimus durans per horam; nullum enim est instans in motu veloci, cui non correspondeat instans in motu tardo: ergo velocissimus non habet plures partes, quàm motus tardissimus. Cætera non persequor, quæ peti possunt ex eo loco.

Obiicitur primò, contra realitatem temporis. Illud non est ens reale, quod nunquam existit, neque vnquam potest existere: tempus existere nunquam

Instantia
inextensa.

Instantia
extensa.

Distinctio
partium.

Instantia
copulata.

Prima ob-
iectio.

quam potest: ergo tempus non est reale. Probo minorem. Illud non potest existere, quod neque secundum se totum potest existere, neque secundum ullam sui partem: tempus, neque secundum se totum existere potest, neque secundum ullam sui partem: ergo tempus non potest existere. Maior nota est, probatur minor. Illud nunquam potest existere, quod impl. cat esse aliquando præsens: sed implicat partes temporis esse præsentis; quod enim est præsens, est solum instans: ergo implicat partes temporis existere. Probat minor. Illa pars temporis, quæ dicitur esse præsens, vel est diuisibilis, vel indiuisibilis; si indiuisibilis, tempus constat ex indiuisibilibus; si diuisibilis, illa vel tota est præterita, vel tota futura, non autem præsens: quod probo, quia si pars illa est diuisibilis, partes illius omnes sunt priores & posteriores; partes priores, significant partes præteritas; partes autem posteriores significant partes futuras: ergo tota illa pars est præterita, & futura non autem præsens. Idemque argumentum fieri poterit si dicatur illas partes existere fluenter, semper enim illæ sunt priores & posteriores. Priores sunt præteritæ, posteriores sunt futuræ: ergo partes illæ nunquam sunt præsentis fluenter.

Resp. tempus & secundum se totum, & secundum suas partes habere realem existentiam & præsentiam, non permanentem, sed fluentem; totum enim tempus est præsens, sed ita vt fluat semper, & accipiat esse desinendo; singulæ quoque illius partes præsentis sunt, sed fluendo. Ad probationem dico illam partem, quæ præsens est, fluenter esse diuisibilem, & habere partes priores & posteriores; sed falsum est, quod partes priores significant partes præteritas, & partes posteriores significant partes futuras; nam ambæ præsentis sunt, sed fluenter, ita videlicet, vt vna non existat vlllo modo cum altera; transeunt enim omnes, & sunt præsentis vna post aliam.

Prima instantia. Instabis primò. Vel solæ partes priores sunt præsentis, vel solæ posteriores, vel vtræque. Non solæ priores, quia illæ habent partes priores & posteriores; partes posteriores non sunt præsentis: ergo neque illæ priores. Non solæ posteriores; nam illæ habent partes priores & posteriores; priores non sunt præsentis: ergo neque illæ posteriores. Non vtræque, sic enim essent simul, quia partes priores essent præsentis, quando posteriores essent præsentis.

Resp. partes tum priores, tum posteriores esse præsentis, non permanentes, seu non totas simul; sed fluenter, & successiue: non ergo sequitur, quod illæ sint simul, quia vna non est præsens quando altera est præsens: sed vna post aliam.

Altera instantia. Instabis secundò. Partes priores comparatæ ad posteriores, sunt præteritæ; & partes posteriores comparatæ ad priores, sunt futuræ: ergo partes priores & posteriores sunt partes præteritæ, & futuræ.

Resp. distinguendo consequentiam: ergo partes priores, & posteriores absolute sumptæ, sunt partes præteritæ & futuræ, nego; si comparentur priores cum posterioribus actu existentibus, sunt præteritæ, & posteriores comparatæ cum prioribus actu existentibus, sunt futuræ, concedo. Si autem vtræque considerentur absolute, sunt fluenter præsentis.

Secunda obiectio. Obicitur secundò: de eo quod existit dicere licet, *nunc existit*: sed de nulla parte temporis licet dicere *nunc existit*: ergo nunquam existit.

Resp. existentiam, & præsentiam aliam esse permanentem, aliam fluentem & successiuam. Perma-

nens est cum de aliquo licet dicere in aliquo instanti, *nunc existit*; & hæc conuenit rebus permanentibus. Fluens est cum de aliquo non licet dicere in aliquo instanti, *nunc existit*; sed dicere tantum licet in parte temporis diuisibili, *res existit*, ita scilicet vt illud *nunc* significet partem temporis diuisibilem; seu est existere transeundo. Ad argumentum itaque distinguitur maior; de eo quod existit fluenter licet dicere, *nunc existit*; ita vt illud *nunc*, significet tempus diuisibile, concedo; ita vt significet instans, nego.

Obicitur tertio. Illud non est continuum reale, cuius partes componentes non possunt realiter vniri: sed partes temporis non possunt realiter vniri; ergo non est reale. Probat minor. Nihil potest vniri ei, quod non existit: sed quando existit vna pars temporis, altera non existit: ergo illæ partes non possunt realiter vniri.

Resp. partes temporis fluenter vniri posse, non permanentes. Ad probationem distinguitur maior; nihil vniri potest fluenter ei quod non est, vel immediate non fuit, aut futurum est. nego; nihil potest vniri permanentes, concedo. Vnio enim successiuorum non est similis vnioni permanentium; nam successiua vniantur inuicem, quatenus vnum immediate sequitur aliud, & per modum realem ei connectitur, sed statim exituro, ita vt id quod vnitur, intereat; id cui vnitur, recipitque vnionem, fiat. Sic enim vnio non existit sine parte, in qua recipitur; existit sine parte, ad quam terminatur. Et hæc de tempore satis sunt.



DISPUTATIO VI.

De motu & actione.

Aristoteles à lib. 3. Phys. ad finem 8.



VÆCVNQVE disputata sunt hæcenus de continuo, de loco, & de duratione, ea ferè omnia disputat Aristoteles occasione solius motus, quem à tertio Physicorum ferè solum considerat, eo quod præcipua illa sit, & obscurissima proprietas corporis naturalis: nascitur videlicet, & moritur simul; imò neque viuit nisi sua morte. Fiunt per ipsum ea quæ permanent, ignoratque semper illa parentem suum, qui si esset super, ipsa nondum essent. Vitam rerum omnium metitur motus, quam ipse retinere non potest: nunquam idem, & semper durans, successibus gaudet: sui semper hæres, & nunquam locuples, diuitias plates profundit, quod plures cumulat thesauros. Scio esse plurima, quæ de illo disputari possint, sed duo tamen videntur esse huius loci propria. Primò de motu in genere: secundò de motu locali nobilissima eius specie, nam de alteratione, ac de reliquis eius speciebus fusiùs dicam tractatu 4.

QVÆSTIO I.

De motu in genere.

Omnia quæ de motu in genere disputari possunt, ea pertinent vel ad quidditatem morus, vel ad illius vnitatem, vel ad eius proprietates; quæ tria